

LAVRENTII HEISTERI

PROGRAMMA

QVO AD LECTIONES SVAS HYBERNAS
PHILIATROS INVITAT

ATQVE SIMVL

INIQVVM LIPSIENSIVM IVDICIUM

DE NOVA SVARVM INSTITVTIONVM
CHIRVGGICARVM EDITIONE LATINA
AMSTELODAMENSI

IN COMMENTARIIS SVIS NOVIS

DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA
GESTIS RELATVM
RETVNDIT ATQVE ENERVAT.



HELMSTADII
TYPIS IOANNIS DRIMBORNII
MDCCLII.

1752

LAWRENCE MORTIMER

P R O G R A M A

OF THE HISTORY OF THE UNITED STATES

1877

MINIATURE LIBRARY

OF THE HISTORY OF THE UNITED STATES
1877

IN CONNECTION WITH THE STATE

OF THE HISTORY OF THE UNITED STATES



THE HISTORY OF THE UNITED STATES
1877

1877



Cum haud pridem mihi in manus inciderint *Commentarii de Rebus in scientia naturali & Medicina gestis*, qui Lipsiæ hoc anno in forma, ut vocant octava, prodire inceperunt, in quibus Auctores bonas relationes de huiusmodi libris novis & vera de iis iudicia se proferre velle perhibuerunt, gavifus eram, præsertim dum in præfatione spondebant,

1) pag. X, se operam daturus esse, ut *in diiudicandis auctorum sententiis non aliorum iniquis sæpe iudiciis insistere cogantur, sed cuncta eo, quo fieri debet studio, examinata ex ipsis scriptis confirmare valeant.*

2) p. XI & XII aiebant: *Se quidem in commemorandis libris valde prolixos esse nolle aut non posse, atamen in specimine saltem se indicaturos esse nova, si quæ ab auctore prolata, aut recedentem ab aliorum more veritatis demonstrationem, ulterioremque eius confirmationem commemorare, & denique recensitis momentis superstructam sententiam de opere, quod indicant, libere profiteri velle.*

3) pag. XII, in parte huius paginæ inferiore scribebant: *Veritatem, per logicas regulas bonitatem librorum investigantes, profiteri nulli unquam dubitabimus, & paullo post*

4) *Absint contumeliosæ vituperationes, nos ea aliis præstare intendimus officia, quæ ab illis iterum expectamus, ex æquitatis atque humanitatis natura fluentia, &*



5) pag. XIII affirmabant, *licet etiam omne studium, omnemque operam in veritate investiganda & propalanda nos adhibituros esse spondeamus, ipsi tamen aliquando humani quid pati nos posse iam praevidemus, hinc commissos a nobis errores, meliora edocti, indicare atque corrigere, decere nos magis, quam turpem rem agere putabimus: atque ita se acturos esse hic publice, ut honesti, pollicebantur, quales recensiones etiam omni laude dignae essent.*

Vtrum vero in recensione Institutionum nostrarum chirurgicarum, anno 1739 primum Amstelodami & 1750 secundum editarum, quae apud bonos prudentes & honestos diu in honore fuerunt, haec praestiterint, an contrarium potius egerint, ex ea nunc sequente, quam de iis dederunt, videbimus.

In Volum. itaque I. Part. II. p. 314. ita loquuntur.

XVII.

LAVRENTII HEISTERI, Conf. Aul. & P. P. Helmst. Institutiones chirurgicae etc. Pars I. II. Amstelod. apud Ianssonio-Waesbergios, 1750. 4. mai. c. tab. aen. 40.

6. alph. 17. pl. Praefat. & Bibl. chir.

10 $\frac{1}{2}$ pl.

Cognitae satis, et vel ipsis nostrae artis tironibus, perspectae cum sint, vel minimum esse debeant Cl. HEISTERI chirurgicae institutiones, superuacaneum certe esse arbitramur harum rationem nunc paulo plenius exponere; quare novae modo huius libri editionis pretium brevissimis indicemus. In hac quidem ab ipso ill. Auctore, in praefationis fine, ea quae in priori latina editione proposita prius fuerant, nunc aucta magis emendataque multum in innumeris locis, dicuntur; nos vero, pace Cl. Viri illud addimus atque monemus, hanc, cum priori dili-



diligenter collatam, non adeo multis in locis ac capitibus novis accessionibus amplificatam, exornatam, emendatamque deprehendisse, uti quidem facili negotio fieri potuisset, immo & interdum necessario debuisset. Nolumus autem nunc in indicandis illis novis accessionibus, brevibus saepe ac leuioribus, lectoribus nostris, forte & ipsi Auctori, molesti esse aut videri, cum ex multis fere pauciores reperiantur, eademque potissimum ad lithotomiam et obstetriciam artem pertinentes, quibus novae huius editionis dignitas ac praestantia quodam modo posset comprobari. Illi itaque, qui priorem illam latinam harum institutionum editionem possident, vix habent, cur eam, ut minus completum perfectumque opus negligant, et in nova hac coemenda novas ac superfluas impensas faciant.

Ex huius recensiois initio apparet, eos quidem totum librum carpere nolle, qui tam saepe in patria nostra, universali fere bonorum applausu, tanquam liber idoneus & utilis, tam pro Medicinæ, quam chirurgiæ Studiosis, impressus est, & propterea etiam in linguam Batavicam, Anglicanam & Hispanicam translatus, atque in Anglia etiam iam saepius eundem in finem, in latina vero lingua Venetiis recusatus est, & contra quem etiam haecenus nemo fere, vel in patria vel inter externos quid scripsit, aut in eo aliquid magni momenti reprehendit; sed omnes cum fructu usi sunt, atque etiam hi novi censores, quorum nomina mihi latent, nihil redarguunt, verum se novæ solum modo huius libri (quem magno labore sane perfectiorem adhuc reddere studui) editionis pretium indicare velle perhibent, atque primo verba mea in praefationis meæ sine aggrediuntur, ubi secundum veritatem,



non ostentationis caussa scripsi, *me priorem editionem latinam in hac nova editione innumeris in locis multum emendasse, eamque quam plurimis gravibus rationibus, novis observationibus & encheiribus, cum aliorum bonorum scriptorum, tum meis auxisse, atque ad maiorem perfectionem evehere studuisse.*

Hæcce mea verba, scilicet (*quod eam multum emendaverim & auxerim*) aggrediuntur, *falsa esse perhibent, atque sic mendacii me arguunt, astute dicentes, nos, pace Cl. viri, monemus, nos hanc cum priori diligenter collatam (scilicet editionem) non adeo multis in locis ac capitibus novis accessionibus amplificatam, exornatam, emendatamque deprehendisse; tandem tamen paullo infra, ex singulari quasi gratia erga me dicunt, me tamen quædam, sed pauca addidisse ad lithotomiam & artem obstetriciam pertinentia. Sed (quod pace censoris dico) quam obiter & indiligenter, ne dicam malitiose, ad me & librum huncce meum tantum contemnendum, in collatione utriusque editionis fuerint, cuilibet ex locis innumeris & speciatim inde facile constare poterit, quia cap. CXL, quod de parvo Lithotomiæ apparatus, sive de Methodo calculum e vesica extrahendi antiquissima Celsi agit, in priori editione tantum sex plagulas, in posteriori vero novem habet: quodlibet vero plagulæ folium tot continet parvas litteras, ut si quis ea mediocribus litteris describere velit, quodlibet folium impressum, si describeretur, integram plagulam chartæ & ultra imple-ret. Præter hoc insigne augmentum in unico hoc capite fere nullus est huius capituli paragraphus, in quo non multa sint mutata, adiecta & emendata, ita ut mar-*
gines



gines mei libri manualis annotationibus novis ita repleti sint, ut millenarium vocabulorum numerum longe excedat, quæ omnia in novam editionem illata sunt; id quod unicuique, qui utramque diligenter conferet, aut me convenire vult, ostendere, eumque veritatis nostræ assertionis plene convincere possum, sicut etiam hoc iam multis eruditis ostendi.

Præterea ratione huius speciei lithotomiæ sive operationis, si ipsis, vel ut clarius dicam, *meo Censori*, qui hanc epitomen fecit, (nam cum ceteris mihi iam non est res, & qui me non læserunt, eos quoque mea non tanget defensio) in animo fuisset lectoribus vere indicare, quid boni aut novi in hac altera editione præstiti, sicuti in præfatione antea laudata polliciti sunt, dicere hic debuisset, *me hanc methodum lithotomiæ antiquissimam hic instaurasse*, quæ per longum tempus a chirurgis quam plurimis immerito ita contempta fuit, ut scripserint, ne operæ pretium esse de ea vel solum loqui, e contemptu, in quo hæc lithotomiæ species, revera egregia, diu fuit, & e tenebris rursus in claram lucem revocasse, atque multis rationibus & exemplis evicisse, 1) quod multis in casibus *sit optima, simplicissima & certissima*. 2) Quod ostenderim, eam matrem esse *methodi* nunc adeo laudatæ *lateralis, Ravianæ & Cheseldenianæ*. 3) Quod interdum absolute necessaria sit, ubi ceteris methodis interdum calculus e vesica extrahi haud potuit, & quamplurima alia eius commoda, quæ in nullo libro alio extant, quam in mea de Lithotomiæ Celsianæ præstantia, a. 1745 hic edita disputatione, & hoc in capite huius novæ editionis, quaque antiqua curandi ratione ego ægros plures
feli-



feliciter a calculo liberavi & curavi, sic ut, quæ de ea propofui & fcripsi, non cerebri sint figmenta, aut leves emendationes vel augmenta, sed res in chirurgia magni profecto momenti & experientia comprobata.

Ita & in ceteris lithotomiæ principalioribus methodis ac nominatim in alto apparatus & laterali, quas in Germania primus, & postea sæpius bono ut plurimum cum successu exercui, multa in melius mutavi, & varia addidi, easque novis a me factis experimentis uberius confirmavi: quas res sodales huius novi Collegii Lipsiensis in præfatione sua se e novis libris indicaturo esse promiserunt; sed hic non fecerunt. Speciatim vero de methodo adhuc alia nova, sic dicta *Fouber-tiana*, de qua in priori editione nihil adhuc dixeram, quia tunc nondum mihi nota erat, ideam quoque aliquam Chirurgiæ Studiosis in hac nova editione dedi, & ubi plura de ea legere possint, indicavi; verum etiam de sexta aliqua, ab autore Gallo *Cat*, *Catiana*, dicta, quæ hætenus de ea experiri potui, adieci.

Si vero epitomator meus lectores instruere voluisset, sicuti sodales eius se facturos esse in præfatione affirmarunt, quid scriptor ille, cuius librum recensebunt, præcipue præstiterit, indicare de me, historiæ medicæ & chirurgicæ promovendæ causa, (quam se omni modo promoturos esse polliciti sunt) debuisset, quod ego primus omnium *Cel. RAVIVM* (cuius discipulus fui) in sua methodo lithotomica imitatus fuerim, & qui primus etiam in Germania *altam lithotomiam* five *Franconicam methodum*, instituerim ac descripserim, me profecto, si recte facere voluisset, discentium causa nominare debuisset, & sic in multis aliis cura-
tioni-



tionibus chirurgicis. Sed his de rebus omnibus ille, qui recensionem libri mei fecit, magis mutus est quam piscis, ea mente, ut pretium libri huius minuat; atque sic non refert, quod referre vi promissi debuisset; licet meræ sint veritates, quæ non omnibus notæ.

Deinde etiam concedit, me emendationes & additamenta quoque in *arte obstetricia*, sed pauca dedisse. Verum qui Lectores a partium studio liberi ac honesti sunt, haud diffitebuntur, me aptum totius illius artis compendium tironibus hic dedisse, & multa longe melius & meliori ordine disposuisse, quam in priori, sic, ut, qui hoc probe scit ac didicit, profecto pro magistro in hac arte haberi iure possit. Ita etiam in hac nova editione *forcipem*, quem *anglicanum* vulgo vocant, in figura exhibui Tab. XXXIX fig. 10, qui in priori non erat, & de usu eius in infantibus ex utero extrahendis egi pag. 1186; quæ res non leve est augmentum, de qua vero etiam nihil dicit: ubi quoque monui, quod *unci* illi a me Tab. XXXIII, fig. 16 primum in priori mea) Instit. chir. edit. delineati, me suasore, occasionem dederint ex his duobus uncis compositis unum quasi *forcipem* hunc Tab. XXXIX fig. 10. construere, qui forte sine hoc meo monito nondum existeret, saltem in Germania, in qua, antequam hos uncus primum descripsi, forceps ille nunquam visus est. Ita & tota, magna tabula XL editionis novæ celeberrimum in Hollandia *Roonhuysianum instrumentum* in partu difficili usurpandum exhibet, & modum eo utendi docet, quo etiam has novas meas chirurgicas institutiones auxili; de quibus vero rebus omnibus, ille, qui epitomen illam fecit, data opera

B

nihil



nihil dicit, ut sic meum librum, quasi nihil plus, quam prior editio contineret, tanto impudentius dehonestare, & sub hac specie apud iuniores & ignaros, quasi liber nullius esset pretii, contemnere potuerit.

Sed cum tam proterve nihil singulare præterea novi aut augmenti in meo libro contineri scribat, quam *pauciora*, ut ait, eaque *levia* tantum, multa adhuc alia producam exempla, quibus demonstrabo, Momentum hunc meum, quicumque ille sit, valde a vero abiisse, & mendacii criminis, cuius me reum facit, ipsum reum esse, & augmenta, quæ in hoc libro protuli, videre noluisse; sed me meumque librum tantum contemnere, atque Bibliopolæ (qui nullis pepercit sumtibus, ut hunc librum, quam nitidissime iterum ederet) damnum inferre voluisse, dum ipsum haud mereri perhibet, ut ab aliquo, qui priorem habet, ematur.

Incipiam vero ab initio mei libri, ubi mox post præfationem *Bibliothecam meam chirurgicam*, sive *enumerationem scriptorum chirurgicorum meorum*, quos ipse habeo, posui, ut quilibet tanto certius scire possit, illos scriptores revera existere, (quod quidam in dubium vocarunt,) eo animo, ut tirones & alii, qui *historiam medicam & cumprimis chirurgicam amant aut nosse cupiunt*, in ea invenire possint partem longe maximam scriptorum, qui aliquid de rebus chirurgicis evulgarunt, & quo de argumento singuli aliquid commentati sunt; dum nusquam adhuc, quod sciam, dum hic liber sub prelo erat, tantus index librorum chirurgicorum, quam hic est, profert, atque etiam sic iis prodesse queat, qui aliquando vel *Historiam*



riam perfectam chirurgicam conscribere, vel de certa quadam Chirurgiæ parte aliquid commentari velint, (a) inde & veteres & recentiores, quos ego saltem aere ex omnibus Europæ regionibus, & in quacunque lingua europæa scripti sunt, obtinere potui, mihi comparavi, cognoscere queant.

Hoc historiæ medicæ studium ille, qui præfationem voluminis primi, partis primæ conscripsit, tanquam utilissimum recte laudat, affirmatque societatem hanc, quæ hosce commentarios conscribere sibi sumsit, potissimum inter alia constituisse, ut studium historiæ medicæ bene excolatur, atque Bibliothecam quoque, ut hoc fieret, ab ipsis inchoatam esse, quod institutum cum legerem, & quod adeo *sinceras & honestas librorum recensioni facere vellent, mihi aliisque egregie placuit*, & placeret etiam adhuc multis aliis, si membra hoc fervent, quod in ea polliciti sunt. Verum Epitomator ille, qui maledicam & contumeliosam adeo illam epitomen de meo hoc libro fecit, promissa hæc non servavit, sed contraria fere fecit omnia, iniqua & pessima illa intentione, ut libri mei pretium atque existimationem, quam hætenus inter

B 2

bonos

(a) Hoc illustrare possum, exemplo Viri doctissimi D.D. *Langbeini*, Medici Dresdensis, qui artem obstetriciam Dresdæ docet, & de *antiquorum Embryulcia* aliquid scribere voluit, in Bibliotheca vero hac mea chirurgica varia invenit scripta, quæ alibi diu frustra quæsierat, & de quibus, ac si in rerum natura non existerent, quidam ipsi persuadere voluerunt, sicuti hac de re per litteras superiori anno ad me datas, me certiore reddidit, & quod ea tandem invenerit, in quorum cognitionem sine hoc meo scriptorum chirurgicum indice non facile pervenisset.



bonos & eruditos omnium europæarum nationum
 Medicos habuit, tantum minuat, *ne verbulum de hac*
mea Bibliotheca chirurgica, quæ tam multos novos &
 raros libros indicat chirurgicos, multo minus, quod
 dicat, eam in hac editione *multum*, vel *saltem ali-*
quo modo auctam esse; cum tamen augmentum eius
 tantum sit, ut trecenta circiter scripta chirurgica, quæ
 in præcedenti editione non fuerunt, plura referat,
 quorum notitia multis profecto doctis Medicis grata
 erit, quorum quidam hunc librum propter solum hoc
 augmentum, si forte alia in eo non essent, ement:
 & præsertim etiam notitia hæc exteris non potest esse
 non grata, quia ad eos multa horum scriptorum,
 quæ recensui, non facile perveniunt. In priore edi-
 tione occupabant paginas quadraginta sex, in hac al-
 tera vero paginas quinquaginta sex, & sic Bibliothe-
 ca hæc *decem paginis* auctior est præcedente. Hic
 scire velim, quomodo hic vir vel juvenis, quisquis
 sit, gloriari, vel ut rectius dicam ita mentiri potue-
 rit, *se magna diligentia contulisse novam hanc cum prio-*
ri editione, & tamen ex trecentis illis recens additis
 scriptis, ne unicum quidem in ea percepisse aut inve-
 nisse, dum de nullo prorsus loquitur. En diligen-
 tiam illam huius hominis in collatione utriusque hu-
 ius editionis, quam adeo iactat in sua epitome.

Præterea *in introductione mea* in Chirurgiam, inter
 eos Scriptores chirurgicos, quos maxime commendavi,
 etiam p. 12 & 13, ex Lipsiensibus *Platnerium*, *Heben-*
streitium & *Gunzium* recens addidi ac laudavi, atque
 nullos unquam Lipsienses læsi; sic ut comprehende-
 re non possim, quare me innocentem senem tam ini-
 qua

qua & contumeliosa ratione, aggrediantur, cum tamen omnes forte ex meis scriptis profecerint. Pag. 18, 19 & 26 aliquot *notas novas subiunxi utiles*, quæ in præcedenti non fuerunt: id quod & *in paginis quamplurimis* per totum librum feci, quas brevitatis causa singulariter non semper indicare volo. In paragr. LI ad LX introductionis huius varia mutavi ac emendavi, variaque recens addidi. In LXXI in fine monita, quæ *ad fascias rite applicandas* faciunt, adieci.

In Vulnerum doctrina cap. I. præsertim a paragr. XVII ad finem usque in paragraphis plerisque multa emendavi & addidi, quæ in manuali meo libro, secundum quem nova editio impressa est, unicuique ostendere possum; quæ vero loca omnia, quia quamplurima sunt, hic notare nimis longum foret. Pag. 77 circa finem paragr. XII *observationem* descripsi notatu dignissimam & *utilissimam*, *vulneris* scil. *arteriæ cruralis periculossissimi a me sanati*, quale vix unquam ab aliis curatum est, vel ego saltem tale apud scriptores non inveni, nec ab aliis curatum vidi: cui ægro alias brevi moriendum fuisset, nisi singulari studio & arte ipsum fere mortuum sanassem, & simul *machinam* indicavi peculiarem novam, qua *aneurysma*, hoc loco cumprimis periculosum, quod alias sæpe arteriarum vulnera sequi solet, evitatum est. Qui hanc curationem & machinam non pro utilibus & gravibus augmentis huius novæ editionis, sed pro rebus tantum levibus habet, illi vix prima Chirurgiæ rudimenta recte cognita esse existimo, & quæ secundum statuta huius societatis, ut *nova* merito indicare lectoribus debuisset: cuius etiam historiam integram in pe-



culiari disputatione olim descriptam Medici & Chirur-
gi Regis Hispaniae sapientissimi, in Hispanicam linguam,
in versione huius meæ chirurgiæ seorsim quoque tra-
duxerunt; eamque versioni huius meæ chirurgiæ ad-
iungere dignam iudicarunt; attamen hic momus ne
verbulum de his omnibus dixit.

Pag. 79 in fine paragr. XVI & fine XVIII utilia
in curandis vulneratis præcepta annexi varia, quæ in
priori non sunt; pag. 82 in cap. VIII, quod *de vul-*
neribus machinarum ignivomantium agit, centum mi-
nimum & plura additamenta & emendationes osten-
dere possum, quæ in hac nova editione feci. Ita &
p. 96 paragr. IV varia adieci utilia, *in curatione vul-*
nerum abdominis observanda; p. III in nota (a) singu-
lares & utiles observationes *de vulneribus intestinorum*
descripsi, quæ non sunt in prima editione.

P. III in fine paragr. II monitum utile adiunxi
contra *Garengeot*, *ne Omentum corruptum in vulnere*
abdominis in ventrem refundatur, & plura alia ejusmo-
di monita, etiam in *vulneribus pectoris, colli, faciei &*
capitis addidi; quæ, qui nosse cupit, vel diligentius
conferat novam meam cum antiqua editionem, quam
censor meus negligentissimus fecit, vel ea ex meo ma-
nuali, ubi mea manu omnia adscripta sunt, quæ dein-
de in altera editione suo quæque loco inserta sunt,
apud me videat: quæ ultima profecto tum multa
sunt, ut *amens* aut *malitiosus* sit oportet, qui tam
proterve affirmare audet, nulla hic a me alicuius præ-
tiii facta esse additamenta. Speciatim vero hic adhuc
indicare volo, quod pag. 148 paragr. XXX utilem &
novam *Petiti machinam pro fractis & impressis ossibus*
cal-



calvariae elevandis indicaverim, tabulaque XXXIX nova, quatuor in figuris delineaverim ac descripserim, de quo augmento egregio momus ille ne verbulum. Ita & in cap. XV & XVII de *vulneribus contusis & venenatis* innumeris fere in locis, imo in singulis paragraphis plura additamenta haud levia ad ea bene curanda adieci. Id quod etiam in toto libro II. III. IV & V. qui de *fracturis, luxationibus, tumoribus & ulceribus* agunt, factum esse accurate utramque conferentibus patebit; facilius vero unicuique ex meo manuali ea ostendere possum, secundum quem novam meam editio typis excusa est.

In altera Institut. mear. chirurg. parte, quæ DE OPERATIONIBVS CHIRURGICIS agit, cap. XII & XIII. de *arteriarum læsionibus* ex incauta vel infelici venæ sectione & *aneurysmatibus* inde oriundis notabiles & utiles reperiri possunt accessiones; & sic quoque caput XX, quod de *Cantharidum usu* agit, præter alia integro paragrapho quinto auctum est. Pag. 448 in notis (c) & (d) ubi de *digitorum amputatione* agitur, variae utiles observationes a me, ab experientia depromptæ, additæ sunt, sicuti etiam in Cap. 34. ubi *brachiorum resectio* describitur, *peculiarem quoque ac novam prorsus brachiorum amputandi rationem a me ipso inventam*, Tab. XXXIX fig. 5. delineavi, & pag. 489 paragrapho peculiari X descripsi, eamque denuo in explicatione huius tabulæ p. 1180 repetii: ita ut censor hic, dum prolixas has descriptiones & notabiles has accessiones in utriusque editionis diligenti, (ut ait) collatione non viderit, vel glaucomate labore, vel cæcus censendus sit, vel potius concludendum, eum malo



malo animo de hac & aliis gravibus accessionibus nihil videre & recensere voluisse. Sic etiam in cap. XXXVI paragr. IV p. 485 *novam* rursus *machinam* in *femoris amputatione ad sanguinem cohibendum aptam*, ex *Petiti* chir. parif. inventione commendavi, eamque infra Tab. XXXIX fig. 7 delineavi ac descripsi, de qua nihil in priori editione reperitur, & tamen diligens quasi & accuratus ille in conferendo vir, pro quo se ipsum venditat, eam non vidisse fingit. In Capite de *Fistula lacrymali*, cuius naturam ego ut notum est, primus forte in Germania optime patefeci & *per Anel- lianam methodum*, ceterasque methodos plures eiusmodi ægros mea manu curavi, præter hinc inde interspersas emendationes & notas plurimas, reliquis a me antea descriptis methodis etiam illam in ultima editione addidi, quam *Petitus* Chirurgus, in Actis Gallicis descripsit & figura illustravit, quam ego etiam, sed patefactis simul eius, (factis primis experimentis,) quibus premitur, difficultatibus & incommodis variis, indicavi, atque figura simul illustravi, Tab. XXXIX fig. 8. E F G.

In capite LV de *suffusione* p. 558 in nota (a) novam observationem *Cel. Platneri* descripsi, qua *meam* de *cataraëta sententiam*, quam tribus in voluminibus olim stabilivi, quod scilicet *non in corpore peregrino aquei, sed in opaco crystallino* consistat, ex cadavere mulieris inciso comprobavit. Estne observatio hæc res adeo levis momenti? In pag. 561 *adhuc plura eiusmodi exempla* protuli, quæ eandem meam sententiam uberius confirmant. Præterea plura adhuc alia hinc inde in eodem capite inserui, quæ grave *argumentum*



de suffusione multum illustrant. Cap. LXII *De oculis magnitudine peccantibus*, valde hic a me emendatum & auctum est: quæ omnia iniquus meus censor silentio premit. In Cap. LXXI & LXXII *de Polypo narium & ozæna*, (quos morbos sæpe curavi) plura etiam addita & emendata sunt. Caput *de labris leporinis*, quam operationem sæpissime feliciter perfeci, plurimis in locis, tam in mea de hoc malo peculiari edita dissertatione, quam etiam in hoc libro auxi & emendavi: imo adhuc etiam in Tab. XXXIX fig. 8. *peculiarem & egregiam machinam* delineavi ac descripsi, qua labra difficilius quandoque unienda, melius contineri queunt; quæ vero omnia prætermittit. Ita & doctrinam *de labrorum carcinomate & dentium malis* auxi; atque in capite *de Tracheotomia, de Strumis, Setaceis & Mammarum cancro, Pectoris paracentesi, Partu Cæsareo ac Herniis* multa adieci & emendavi: insimul figuram Tab. XXXIX fig. 9 *ex Vogelio de Herniis* addidi, ad illustrandam *herniæ sectionem sine testiculo auferendo*. In pag. 820, ubi *de urethra clausa* agitur paragr. III, magna adest accessio, sicuti quoque in cap. *de Catheterismo, & de Caruncula urethræ*.

In omnibus partium muliebrium curationibus, itemque in cap. de ano clauso, eiusque procidentia ac fistulis, haud pauca additamenta reperiri possunt. In doctrina de fasciis chirurgicis multa emendavi, imo & pro vena in sura incisa deliganda, qua ego ob securitatem frequenter utor, peculiarem eam deligandi rationem descripsi.

Ostendamus nunc etiam, quod non solum in rerum descriptione augmenta, verum etiam in *tabulis*



æneis emendationes & additamenta fecerim. In tabulis æneis & speciatim in Tab. II, *fasciarum quædam figura* inter a & h. & in Tab. IV *acus pro labris leporinis* fig. 21 & 22. a me mutatae & emendatae sunt. In Tab. VI fig. I. *torcularis* huius (quod *Tournequet* vulgo vocatur) *lamina* CC, foraminulis multis circa marginem emendata est, ut sic *splenium* ei commode affigi queat, ne in usu eius lamina metallica nuda ægrum durius premat. Præterea Tab. X fig. 3 locus, quo persona B, ægrum firmans, eum optime comprehendere debet, mutatus & correctus est, &c. Deinde Tab. X figura nova ad femur, quod e sede sua excidit, restituendum, utilis adiuncta est, sic ut nunc *decem* in hac tabulâ adsint figuræ, ubi in priori editione tantum *novem* sunt. In Tab. XIV, XVI & XVII plures figuræ a me correctæ sunt, sicut utriusque editionis figuras rite conferentibus patebit. In Tab. XV fig. 5 & 10 emendationes quoque factæ sunt variæ. In Tab. XXV, figura ii, nova omnino adiecta est, ubi in casu necessitatis rure in puerpera *urina suppressa laborante*, *calamum anserinum ita aptavi*, ut urinam eo inde evocare potuerim. Tab. XXIX in variis figuris mutationes utiles factæ sunt. Tab. XXXVI fig. I. quoque emendata est. Tab. XXXV fig. 4, 5, 6, 7. *pars superior syringotomorum* in his figuris tenuior, & ad operationem aptior reddita est, quam antea fuerunt. Tab. XXXVI fig. 8, *filum* in hac acu *correctum* atque tenuius factum est. Denique Tab. tota XXXIX *prorsus nova* est, *decem figuras continens*, quæ omnes in priori editione non sunt; in quibus singulis *res magnæ utilitatis indicatæ* sunt: & sic etiam Tab. maxima XL.



XL est augmentum peculiare & magni sæpe momenti in arte obstetricia.

Hæc augmenta omnia, quæ hic indicavi, & longe adhuc plura in nova meæ Chirurgiæ editione revera inesse, ut vir honestus, pro quo omnes honesti me hætenus habuerunt, assero, & pignore mille numerum imperialium vel Ducatorum cum hoc meo inimico adversario, quem, quantum novi, nunquam læsi, & qui me & librum meum tantis contumeliis & iniuriis temere affecit, si audet, certabo, atque si hoc certamen inire non audebit, aut iniurias mihi illatas non revocabit, *pro turpissimo calumniatore & mendaci homine* ipsum declaro & habeo: nec dubito, quin & alii honesti ipsum pro tali habebunt, qui considerabunt, qua iniuria me innocentem ac librum meum tam proterve & temere affecit.

Iam pluribus etiam Viris eruditis in libro meo manuali harum Institutionum chirurgicarum, mea additamenta & emendationes, quæ in novam pervenerunt editionem, monstravi, mea manu olim adscripta, qui omnes satis mirari non potuerunt levitatem, temeritatem & malitiam huius hominis, qui recensitionem illam mendacem confecit: cum primis vero & Collegis meis specialibus honoratissimis, ac nominatim Dn. PHIL. CONR. FABRICIO & IO. GOTTLOB. KRUGERO, Professoribus Medicinæ ordinariis, in confesso Facultatis nostræ ex eodem meo manuali ostendi, quot & quanta additamenta alteri novæ huius libri editioni accesserint; hinc non dubitarunt veritatis causa sequens mihi contra obrectatorem meum dare



T E S T I M O N I U M.

Quum venerandus Academiae & Facultatis medicae nostrae Senior illustris HEISTERVS, Fautor & Collega noster coniunctissimus, a nobis amice desideraverit, ut iudicaremus, quantum recentissima Institutionum eius Chirurgicarum Anno MDCCL Amstelodami latino idiomate prelo egressa editio a proxime antecedente differat; secundum ipsam rei evidentiam haud alia ratione testari valemus, quam quod hunc librum pro opere aeterno & principe in hoc studiorum genere non constanter solum habeamus, sed eundem innumeris quoque locis emendatum & pluribus insignis momenti veritatibus, a celeberrimo Auctore nobis speciaticim indicatis, de novo adauctum deprehenderimus, orbemque eruditum nos in testimonio hoc edendo non plus cultui, quo summum & supra laudes nostras positum virum, maximo suo in scientiam medicam merito, prosequimur, quam veritati dedisse, facta utrarumque editionum collatione comperturum esse, certi confidimus. Per scriptum Helmstadii die VII Octobr. Anno MDCCLII.

PH. CONR. FABRICIVS.

I. G. KRÜGER.

Ex his omnibus facile cognosci potest, quam male observaverit censor leges illas a collegio & Directore suo sibi datas & supra pag. 2 & 3. repetitas, in quibus spondetur, *se iniqua iudicia de libris novis non esse daturus, sed sententias, quas daturi sunt, ex ipsis scriptis, quæ recensituri sint, se probare velle.* 2. *Dum prolixiores esse non possent, ut omnia bona referant, tamen eos indicaturos esse nova, si quæ ab auctore prolata sint, aut ubi ab aliis recedat, se fideliter commemoraturos esse; sed nullum horum hic momus in sua recensione fecit; verum falsa atque iniqua potius, ut hucusque demonstravi, ad me & librum hunc meum dehonestandum protulit.* 3. *Se veritatem per logicas regulas bonitatem librorum investigantes profiteri velle.* Verum iam satis ostendi, ipsum manifestissima mendacia de non aucto hoc meo libro loco illius
(nescio

(nescio per cuius *Logicæ regulas*) protulisse, & e contrario *bona omnia reticuisse*, atque ex ipso facto hic patet, eum nullum aliud propositum habuisse, quam tritum illud: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.*
4. *Se a contumeliosis vituperationibus abstinere velle* &c. spondent; sed dum librum, de quo in præfatione mea vere affirmavi, *me ipsum innumeris in locis multum emendasse* & *auxisse*, sicuti hoc in antecedentibus demonstravi, recenset, *se hanc editionem cum priorè diligenter contulisse*, ac temere deinde pronunciat, *ultimam non adeo multis in locis ac capitibus novis accessionibus amplificatam* & *emendatam esse*, sicuti tamen revera est: easque deinde (per contemptum) si quæ etiam forte sint, *breves ac leves accessiones* vocat, *ut illi, qui priorem harum institutionum editionem possident, vix habeant, cur eam, uti minus completum perfectumque opus negligant, & in nova hac coemenda novas ac superfluas impensas faciant.* Vellem videre, si momus hic talem librum unquam sit editurus, an tot & tanta bona, quam quæ ego protuli, proferre possit, & *an tam leves & breves sint meæ additiones*, penes æquos lectores, qui, quæ hæctenus dixi, bene considerabunt, iudicium esto: præsertim si considerabunt, me ut senem & Medicum atque Chirurgum, qui non ex sola speculatione, uti forte meus vituperator, *sed ex diuturno usu, exercitio ac meditatione* de his rebus iudicat, scripsisse.

Omnia quidem additamenta & emendationes in tanto opere, dum quamplurima sunt, non possunt esse eiusdem ponderis, ipse agnosco; sed quod omnia tam levia & brevissima sint, ut iniquus censor ea fecit, calum-
niam



niam esse, a partium studio liberi facile ex iis, quæ antea pag. 6. 7. & 8. dixi, comprehendent, imo & in emendationibus & augmentis alicuius libri *non semper ad prolixitatem respiciendum*, quam omni modo evitare studeo; sed potius ad *bonitatem, utilitatem & nervum rei emendandæ*, ita, ut sæpe in uno vel altero vocabulo, aut linea addita, res magni sit momenti atque utilitatis, sicuti sæpius ii invenient, qui maiori cura, quam calumniator ille fecit, utramque meam editionem conferent.

Dum etiam 5) scribunt pag. 4 huius Program-
matis, *quodsi in compendiis ipsorum de libris dandis aliquis forte sociorum erret, meliora edocti, errores commissos se indicaturos esse, hocque magis ipsos decere, aiunt, quam turpem rem* (qualis profecto est illa mei libri recensio) *agere*: videbunt eruditi mecum quid hac in re facient, & an promissa, ut honestos decet, hic servabunt. Nam novi esse *eruditos & honestos* inter Medicos Lipsienses, cum quibus mihi nulla est controversia; sed didici ex hoc exemplo esse etiam inter illos *malos, & iniquos*: hinc solum contra illum, qui me tam inique dehonestare allaboravit, scripta est hæc defensio, ceterique prudentes agnoscent, eiusmodi iniqua de bonis libris ac viris iudicia toti ipsorum Societati ignominiam non exiguam & vix delendam inferre; atque propterea etiam Director horum commentariorum eiusmodi nefandam recensionem inferri pati non debuisset, sed publicationem eius, nisi forte ipse autor eius sit, impedire potuisset. Dum vero hoc non fecit, dirigens & recensens in eadem sunt culpa: & dum hic mali deprehensi sunt, maculam
hanc

hanc *malæ fidei* semper retinebunt : scilicet *qui semel deprehensus est malus, semper præsumitur talis, & sic nemo honestus ipsorum relationibus fidem habebit, quia semper metuendum, se mendaciis fallere lectores.*

Denique etiam dicit censor *me varia omisisse, quæ addere potuissem & debuissim, meumque opus propterea esse minus completum & imperfectum, ut propterea non sit emendum.* Ad quod autem respondeo, quod ex mea sententia nemo sit tam sapiens, qui omnia sciat & non quædam, ac præsertim in tam magno libro omittat, quod alius addendum esse existimet : neque unquam tam vanus fui, ut de me hoc credidissim aut scripissim. Ita enim *nullus liber esset emendus, si quis desideret, ut nihil in eo deficiat ; sed sufficit, si scriptor multa bona, utilia & nova protulit. Si Censor de se credit, se libros scripissim aut scribere posse, in quibus nihil omissum, nimis alte de se sentit, & vehementer fallitur ; sin vero aliquid notatu dignum scivisset, quod addendum aut emendandum utile fuisset, atque hoc modeste, sine bile, sine scommatibus & absque contumeliosis vituperationibus, indicasset, aut quibus rebus bonis librum meum augere potuissem, gratias ipsi pro hoc monito, si operæ pretium fuisset, habuissem.* Verum de illo, qui bona, quæ se scire perhibet, tacet, & tam finire de meo hoc libro, quem multæ nationes sapientes bonum esse agnoverunt, iudicat, *quod omnia mea non nisi levia sint, quod ipse chirurgus sit, cognoscere inde non possum ;* atque an multa meliora, quam quod ego scripsi, ab eo, qui chirurgus practicus non est, provenire possint, dubito, donec meliorem, & pluribus augmentis refertam, quam ego scripsi, ipse edat chirurgiam,



rurgiam, atque re ipsa se actiones sive operationes chirurgicas melius perficere posse, quam ego eas hucusque, testibus innumeris viris doctis & egregiis, perfeci, & adhuc quoties occasio fert, perficio, publice ostendat. Nullus enim intra quadraginta & quod excedit annos, quibus ego has curationes, & quidem ne gravissimis exceptis, sæpius perfeci, fuit, qui me adhuc alicuius notabilis erroris convicit. Hinc forte non noceret huic meo censori, si bonus adhuc chirurgus fieri, & opera chirurgica diiudicare vult, ut scholas chirurgicas & nosocomia magna adhuc per aliquot annos prius diligenter frequentet, atque *inde melius iudicare discat, quid bonum vel malum in disciplina chirurgica sit, ut & quid emendationes & augmenta levia vel magni momenti sint: quod quidam theoretici quidem se nosse putant; sed si ad rhodum perveniunt, atque factis ostendere debent quid valeant, saltare non possunt.*

Vos, Philiatri & amici charissimi, qui me iam per aliquod tempus audivistis & actiones meas chirurgicas vidistis, tribus fidelibus vestris Præceptoribus Helmstadiensibus, qui aliter de hoc libro, quam mendax ille censor Lipsiensis, sentiunt, plus fidei habebitis, præsertim quia augmenta & emendationes novæ editionis oculis vestris apud me vidistis, longe etiam melius, quam hic, his de rebus iudicabitis: pergite sic, ut coepistis, & vos ab eiusmodi garrulis hominibus a bona via, quam ingressi estis, non deduci patiamini, sed & chirurgicas meas prælectiones & demonstrationes aliasque meas scholas, si felices fieri vultis, gnaviter frequentate. Valete. P. P. Helmstadii die XXVI. Octobr. MDCCLII.